

Bibliothèque numérique

medic@

Sauvalle, Michel - candidat / Labbé,
Louis - président. - An peior
vigiliarum, quam somni, excessus ?

1692.

***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographum
Cote : ms 2324 n°17***

17

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis
sextâ Martii.*

M. LUDOVICO LABBE', Doctore
Medico, Præside.



An peior vigiliarum, quam somni, excessus?

I.

MOTU & quiete servatur omne mixtum. Motu quidem, quod fluidis; quiete contra, quod solidis; quiete verò & motu, quod solidis simul & fluidis partibus constat. Quæ motus prærogativâ donantur, aliis longè præcellunt, at multò celerius occidunt, motu enim atteruntur omnia; ideo vivens brevè corrui, quia movetur; quod vitæ est expers, diu perstat integrum, quia quiescit, & in viventium genere corpora quæ majori cientur motu, eò brevioris sunt ævi, adeo ut simul nunquam cohæreant operis diuturnitas & motus, atque hic gradus sit ad ruinam: quæ sua tamen omnibus citior, tardior ve præstituta est, variisque acceleratur & sufflaminatur modis. Vis præfixum sibi quæque percurrant stadium? sine positis sibi legibus obtemperent; noli motus imperio subicere quæ ex naturâ quiescunt; noli perpetuæ quieti addicere quæ à summo rerum opifice comparata sunt ad motum; quæ moveri & quiescere alternatim debent, fac illas opportunè, & uti decet, vices obtineant. Ut valeat, vigeatque, & diu duret corpus humanum, ne otio torpescat, ne labore dissolvatur. Motum amica quies temperet, quietem excipiat idoneus & tempestivus labor: atque ut quietis somnus, & laboris species quædam est vigilia, somni perinde ac vigiliæ mutua sit successio, nec somnus modum excedat, nec vigilia; utriusque enim, quamquam ad vitam maximè necessarij, excessus malus. dubitas hæresque utrius sit peior? utriusque confectaria mala perpende, & inter se confer, pejorque censeatur ille, qui & ægrius curanda, & vitæ principiis magis infensa inducit.

II.

VIGILIA functionum animalium exercitatio est, somnus earundem intermissio. Spirituum hic quiete, illa motu continetur. Hinc obrepit somnus ubi propter vigilias, laboreseve, aut longos, aut ingentes spirituum penuria est, ac qui supersunt, fibris nerveis abundè inflandis impares, relictâ statione otiantur, atque ipsa cerebri moles, ductusque, per quos iter est, tum ad animam, tum ad sensuum organa, subsidunt. Desinit e contrario somnus, cum spiritus congruo refectioni pabulo, & novâ accessione locupletari, pristinis sese motibus restituant, nerveos funiculos tendunt, oclusos cerebri meatus permeant, expandunt.

2

que, & quoquo versum excurrunt. Mirum, quæ commoda, quot fructus afferat constans illa & moderata vigilia ac somni reciprocatio. Spiritus, caloremque excitat, & ad corporis ambitum diffundit Vigilia, articulos, partesque extremas firmat, alimentorum distributionem, & excrementorum, quæ necessario ab illis extant, evacuationem promover, appetitionem ciborum facit, sensus, motusque omnes voluntarios alacres & expeditos, mentem vegetam, perspicacem, & ad omnia paratissimam reddit; uno verbo novam quasi vitam, quæ agendi, sentiendique functionibus se prodit, cum animo, tum corpori inspirat. Vigilia succedens Somnus spirituum dispendia instaurat, nativum revocat, & reficit calorem, vires redintegrat, membrorum, sensuumque defatigationem tollit, partibus solidis ac præsertim articulis labore fectis salutarem madorem immittit, aptam recreati corporis constitutionem tuetur & servat, viscera roborat, stomacho vigorem addit, concoctionem juvat, animi ægritudines oblivione delet, solitudinumque perfugium ac medela quædam est, & humanæ pars melior vitæ. Sed quam facile, quam sæpè hæc somni ac vigilia beneficia corrumpuntur! plus æquo si protrahatur somnus, si diuturnior, pertinaciorque sit vigilia, quot inde & quantæ agrotandi occasiones, quot utrimque noxæ? ex vigiliâ tamen cõ graviores & magis timendæ, quò ad principia, partesque, quibus vivimus, magis pertinent, minusque remediis cedunt.

III.

IMMODERATIORES vigilia calorem insitum, spiritusque omnes, & qui tum caloris, tum spirituum commune subjectum est, humorem primigenium, vitæque prædia absumunt, ventriculum lædunt, ejusque vires infringunt, unde crudorum proventus, sanguinem accendunt, bilem exaggerant, corpus univsum ac præprimis cerebrum inflammant, & exsiccant, variisque affectibus, quos viscerum, humorumque æstus, vel languor & marasmus corporis, vel spirituum seu tumultus, seu paupertas invehunt, causas & initia inevitabili consecutione præbent. Age nunc, quænam ab exuperante somno mala obtingunt? spiritus quidem offundit & obscurat, caloremque obtundit somnus; at eos dissipat exhaustique vigilia. Corpus ille ob superfluum copiam, grave, languidum & ignavum; hæc ob necessariorum inopiam, imbecillum, impotens, & effatum reddit. pituitosi, serosique humores longiore somno congeruntur; at gignuntur & acervantur biliosi & ichorosi, quoties vigilandi intemperantia est. Obstructionum ferax somnus; sed ferax etiam diutius continuata vigilia. Si plura his somni incommoda sunt, levia certè illa & in minimis ponenda. Hæc verò utrique vitio communia videri possunt, nec magis à somno, quam à vigiliâ proficisci. Quanta interim in iis differentia? Corpus quod ex vigiliâ & somno languet, ex hoc insuper molle & laxum, ex illâ durum siccumque evadit. Obstructiones pariens materia per somnum collecta, particulas aliquas adhucdum liquidas retinet, quas vigilia consumit, disperdit. Quidquid tandem crudorum succrescit in corpore, id per somnum à spirituum calorisque impedimento, per vigiliam autem, ab eorum defectu & dissipatione procedit. Jam verò numquid majus à partium siccitate & duritie, quam à nimia molitie & laxitate vitæ discrimen? Numquid à biliosis, quam à pituitosis excrementis plures, ab acris & æfferis, quam ab insipidis & fere aqueis formidolosiores morbi? Numquid & graviores & diuturniores, qui à crassiori & penè indurato, quam qui à minus spisso & tenaci, nonnihilque adhuc fluxili humore infarctus sunt? Numquid citior certiorque ab exhaustis, quam ab obtusis, impeditisque calore & spiritu perniciēs?

SED & ipsa somni & vigiliæ excedentis curatio rem declarat apertiùs, vixque ac ne vix quidem quæstioni locum relinquit. Revera, quæ adversùs immodicum somnum venire in usum præsidia solent, ea effectù ferè nunquam carent; carent autem sapissimè, quæ contra vigilias adhibentur. Sic labor solitò vehementior, acrior animi contentio, cibus parciore, potus illi nostro hoc orbe & sæculo celebratissimè, quorum alterum Caffè, alterum Thé vocant, frictio durior, punctio & vellicatio asperior, vesicatoria, cucurbitulæ, scarificationes, ipsæ etiam casu contingentes, vel arte & de industria injectæ sollicitudines & curæ, frequens aut valida purgatio, liquores acriusculi & spirituosi, sales volatiles Junioribus dicti vel olfacti, vel epoti, diuturniorem somnum abrumpunt, aut avertunt, ipsamque in eum propensionem nimiam efficaciter expugnant. Quin etiam si soporem ut plurimum, quidni & paulò longiorem, profundiorēque somnum, tam vacuatis humoribus, à quibus inferitur, quàm excitatis expeditisque spiritibus, fugent Emerica? Vigiliarum similiter multa quidem vulgò prædicari remedia consueverunt, pax animi, quæ negotiorum curarumque & agnitionum vacuitas est, corporis quies, musica & suavitas cantus, aquarum transcurrentium aut salientium susurrus, diætæ refrigerans & humectans, amygdalata, avenacea, hordeata, & emulsionum species variæ, balneæ, lactis sed potissimum asinini, serique illius potus, ac demum quæcumque ex lactucâ, nymphaea, similique virtute præditis herbis parantur decocta, frontalia, syrupi, aliæque id genus, quibus Ars Medica abundat, aut potius laborat. Addunt & venæ sectionem, quæ ut princeps & palmarium omnibus ferè in morbis remedium est, hîc quoque agmen ducit, & præmitti cæteris solet. Ist hæc porro omnia, quorum alia, nec penes vigilantem sunt, nec penes medentem; alia multum temporis, non parum apparatus, patientiæ plurimum requirunt, quo fructu, qua utilitate usurpantur? Illorum vires & Medici conatus omnes non rarò contumacior vigilia eludit, nunquam sat citò, interdum nunquam omninò conceptam expectationem explent.

V.

CUR in utroque excessu diversè adeò succedant remedia, si quaris, in promptu causa est; alterum segnior, alterum concitator efficit spirituum motus. Hos verò præter modum agitados & quoquo versum dissilientes cohibere, quàm tardos, segnesque extimulare, difficilior. Quemadmodum enim torrentis aquæ per alveum, quem sibi jugi & diuturno cursu fecerunt, obviis quibusque disturbatis, disjectisque oppositis aggeribus, cò rapidiùs volvuntur, quò validiùs reprimere & sustinere decurrentes tentaveris; sic spiritus, per notos tritosque calles, & ductus, vi prioris impetus & consuetudinis, maximè si via pronior, patentiorve ac faciliore sit, (ut esse in nimio opere vigilantibus constat) frustra plerumque obluctantibus vel potentissimis artis præsidiiis discurrunt, nec coerceri se & in ordinem cogi, ubi certis assuevere motibus, patiuntur. Vigiliis conficiuntur & emarcescunt illi, quorum malè morata, exæstuantia, arefactaque viscera; sanguis acrior, subtiliorque, & nimio plus fermentescens; cerebrum siccius fervidiùsque; mens implicata negotiis, exesa curis, macerata angoribus. Quàm operosè porro restitui, ubi perierunt, sua visceribus integritas, sua cerebro temperies, sua sanguini dulcedo, consistentia, naturalis & legitima fermentatio, sua denique menti tranquillitas possunt? Quæ tamen omnia nisi præstiteris, operam si non omnem, magnâ saltem ex parte perdis. Adeò multa sunt, quæ, ut optatus accedat nimis

vigiliae modus, unâ concurrant, conspirentque necesse est. Nec spem uno in Opio, ceu in sacrâ anchorâ reponas. Anceps, incertum, & fallax remedium est & periculi plenum. Unde in illius usu, ne vertatur in abusum, quæ non cautiones, quæ non animadversiones habendæ? Somnum pro Medentis nutu & arbitrio etiam si conciliet, (quem non conciliat interdum) tempestivè & quâ copîâ assolet, ingestum, ligatis, impeditis, congelatisve, aut potius peremptis spiritibus, hunc tamen non ita multò post, iisdem expeditis, solutisve aut recreatis subsequitur non minus contumax vigilia: quam, quoties à somno redit, si eadem arte compescas, cave ne sensus torpidi, hebetesque fiant, fatiscat memoria, ipsiusque ingenii vis obtundatur. Vide præterea quibus, quo in morbo, quâ manu, & quando oggeratur; obesis, gracilibus, frigidum temperamentum, & infirma nactis præcordia, malignis in affectibus, & partium interiorum inflammationibus nunquam non obest; à pastu & pleno stomacho vomitum creat; viribus accisis, & largius assumptum noctem ferream & perpetuam ut plurimum accersit. His ergo in casibus opio adversus vigilias interdictum; illicitis autem metus est semper, ne quæ in solos spiritus animales, quorum motu stat vigilia, vim exerere suam oporteret, eam in vitales quoque, à quibus pendent vitæ munia, diffundant narcotica corpuscula, aut illis intactis, tota in hos serantur. Utrumvis accadat, quanta clades? in altero, pro somno, corporis languor, ventriculi gravitas, spiratio difficilis & anhelosa, caloris & pulsus primum imminutio, & aliquantò post extinctio succedunt: in altero, horum omnium terribili comitatu fatalis somnus inferitur. Sed esto, opii particulae quasi Medici præscriptis obedirent, illique dicto obedientes essent, cerebri incolas spiritus tantum afficiant, aliis, qui cerebelli sunt, pro jussu parcant; illorum cursum moderentur, non sistant; illaeso naturali motu, spontanei compescant impetum. quid inde? hocce præsidio ulterius & de novo imminens detrimentum præcaveretur quidem, at jam factum non refarcitur. Adde quod, quæ capitur ex declinatione futuræ jacturæ utilitas, brevis fluxaque est, & recurrente postea vigiliâ perit, recurrit autem, quandiu suis fovetur causis, quas opiata non delent. Præterea semel evacuatus is, a quo somnus est, humor, longiores parit in ducias, & caveri, ne rursus succrescat, facili negotio potest. Si quod superstes ab illius evacuatione fermentum est, iners illud & parum actuosum, potentissimum contra & efficacissimum, quod vigiliarum author effectusque est.

Ergo pejor vigiliarum, quam somni, excessus.

Asserebat Parisiis MICHAEL SAUVALLE, Ebroicus,
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ
Typographum.